DE REGNI BOHEMIAE

MAPPA HISTORICA,

COMMENTARIUS.

Josepho Kalousek.

205.1
1

STORAGE-ITEM
LPC/MN

LPA-D46E

U.B.C. LIBRARY

THE LIBRARY

THE UNIVERSITY OF
BRITISH COLUMBIA

The Walter C. Koerner

Slavonic Collection

Honouring Dr. William J. Rose

DE REGNI BOHEMIAE

MAPPA HISTORICA

COMMENTARIUS.

AUCTORE

PH. D^RE JOSEPHO KALOUSEK,

Regiae Scientiarum Societatis Bohemicae sodali e. o.

(EX ACTIS REGIAE SCIENTIARUM SOCIETATIS BOHEMICAE, SERIE VI. TOMO 8.)

PRAGAE.

TYPIS GREGRIANIS. — SUMPTIBUS REG. SCIENTIARUM SOC. BOH.

1876.

bind
3 205.1
2

DE REGNI BOHEMIAE

MAPPA HISTORICA

COMMENTARIUS.

AUCTORE

PH. D^RE JOSEPHO KALOUSEK,

Regiae Scientiarum Societatis Bohemicae sodali e. o.

(EX ACTIS REGIAE SCIENTIARUM SOCIETATIS BOHEMICAE, SERIE VI. TOMO 8.)

PRAGAE.

TYPIS GREGRIANIS.

1876.

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of British Columbia Library

http://www.archive.org/details/regnibohemiae00kalo

Regni quoque Bohemiae tabula historica, quae nunc in lucem producitur, habuit sua fata, quibus in annum non semel nonum sed ter nonum premebatur. Quam tabulae seu mappae (ut voce antiqua recenti notione utar) historiam, antequam ad operis hodie demum completi explicationem aggrediar, breviter enarrandam esse censeo.

Jam enim anno 1847, quum universitas Pragensis quingentesimum annum celebratura esset, Regia Scientiarum Societas Bohemica tabulam Bohemiae a doctissimo viro Francisco Palacký compositam, quae regni hujus ostenderet statum, quo divo Carolo Quarto regnante floruisset, quamque commentarius libellus prosequeretur, edere decrevit.[1]) Quam quidem operam Palacký eodem tempore pro sua parte absolvit, mappamque ab se conscriptam Venceslao Merklas, qui tunc Pragae istam artem colebat, in aes incidendam commisit; is vero tantum duas circiter partes tabulae sculpsit, dein opus imperfectum, nescio quam ob causam, reliquit, nec unquam ad ipsum revertit.

Tabula non absoluta vulgari non potuit. Nihilominus exemplaria aliquot expressa fuerunt, quae quum privatim nonnullis Scientiarum Societatis sodalibus, amatoribus patriae historiae, distributae essent, haud parvi usus iis erant, justumque desiderium, ut hic Bohemiae conspectus historicus compleatur edaturque, in eorum animis excitabant; atque Scientiarum Societas in sessione ordinaria die 8. Aprilis 1874 habita, Francisco Palacký praesidente, rem deliberavit, mappamque supplendam mihi mandavit.[2]) Quo instituto comperto, Collegium Archaeologicum Musei regni Bohemiae petivit, ut sibi mappae exemplaria sufficienti numero concederentur, quae archaeologicis ac topographicis annalibus quotannis ab ipso editis, quibus *Památky* est nomen, adjungi possent; quod desiderium Scientiarum Societas libenter explevit. Itaque apparebit haec mappa non solum in Actis Scientiarum Societatis, sed etiam in scripti Bohemici modo commemorati, quod ego hoc tempore redigo, tomo ad annum 1876 edendo, ubi etiam hic commentarius patria lingua redditus legi poterit.

Commissum mihi munus suscipiens, nonnulla partim supplenda partim corrigenda inveni. Nam primum mappae exemplaria vetera, ante plus quam quinque lustra impressa, montes, aquas, oppida et vicos intra eos solummodo, qui nunc sunt Bohemiae limites, exhibebant depictos, neglectis omnibus extra hos terminos sitis. Totus igitur comitatus Glacensis denuo fuit pingendus, quem usque ad annum 1742 partem Bohemiae effecisse satis constat; adjicienda fuit pariter regio Zitaviensis, quae olim in extrema Bohemia septentrionali terram Budissinensem aspiciebat, hodie autem regni Saxoniae pars est; non longe illinc, ad sinistram

[1]) Vide Abhandlungen der konigl. böhm. Gesellschaft der Wissenschaften V. Folge 5. Band 1847 p. 4.
[2]) V. Sitzungsberichte der k. böhm. Gesellschaft der Wissenschaften 1874 p. 73.

Albis fluvii ripam, Lapidem Regis arcem civitatemque Pernam cum nonnullis vicinis locis subjungi oportuit; quibus praeter ternas parochias in septentrionalibus finibus antiquorum decanatuum Curiensis et Brumoviensis sitas (Albendorf, Bertelsdorf, Schömberg; Friedland, Trautliebersdorf, Waltersdorf), parvulum tractum ad castrum Borschenstein oppidumque Zavidoviense addidi; qui tractus postquam de eo Bohemi et Misnenses diu contenderunt, a rege Venceslao II. postremo est redemptus.[1]) Quibus rebus suppletis ita, ut Bohemiae limites ad normam saeculi XIV. reducerentur, regio Egrana (Chebsko) eandem ob causam ab iisdem terminis excludenda fuit, quippe quae illo tempore cum regni Bohemiae corona jure pignoris juncta, cum ipsa autem terra Bohemiae nulla administrationis publicae communione speciali sociata esset.

Praeterea depinxi vicinarum terrarum partes terminos Bohemiae tangentes, ut antiqua nomina et fines mutui omnium regionum, quae circum Bohemiae regnum jacuissent, locaque eidem regno finitima, quae in historia Bohemica passim occurrunt, conspici possent; qua in re potissime hoc propositum habui, ut marchionatus Moraviae pars quam maxima cum suis locis historicis in tabula nostra appareret.

Sed ne intra Bohemiae quidem terminos, qui nunc sunt, vetus mappae exemplar erat perfectum. In magna enim parte Silvae Bohemicae in Bavariae confinio desiderabantur montes; quos aeque ac solidi soli superficiem in comitatu Glacensi ceterisque regionibus a me adjectis Antonius Knorr Vindobonae solus depinxit.

At vetus tabulae sculptura non solum supplementis, sed etiam emendationibus variis indigebat. Quum enim sive montes et aquarum decursus in ipsa depictos, sive positiones locis assignatas cum magna Bohemiae mappa ab caes. r. Austriaco instituto militari geographico edita conferrem, atque lineis meridianis parallelisque apponerem, permultas a vero situ inveni aberrationes; quarum nonnullas easque maximas, quas deprehendi, emendandas curavi; minutarum vero mendarum numerum majorem, praesertim quum vicorum oppidorumque complexiones integrae suo loco paululum motae reperirentur, corrigere, nisi magna universae veteris sculpturae pars radenda fuerit, haud potui.

Quia praecipuum hujus tabulae historicae momentum in plena parochiarum saeculi XIV. enumeratione positum est, cunctas parochias, quae in vetere sculptura omissae erant, quotquot in coaevis fontibus ad hoc usque tempus inveniri potuerant, inserui. Eandem ob causam etiam archidiaconatuum decanatuumque terminos, sicut mihi ex Scientiarum Societatis decreto injunctum fuerat, investigavi atque descripsi. Quibus aliquot arces oppidaque omissa addidi, et quae circa locorum nomina jam sculpta desiderabantur signa pagorum, munitionum similiumque, ea omnia, ut per se intelligitur, supplevi.

Quamquam haec tabula imprimis ad saeculi XIV. res illustrandas est accommodata, tamen et nonnulla alia et antiquiora et recentiora comprehendit, ut simpliciter *Bohemiae*

---

[1]) H. Jireček, Codex juris Bohemici I. p. 262; cf. ejusdem auctoris: Základy zemského zřízení za Karla IV, pp. 1–3. 10–12, ubi de Bohemiae saeculi XIV. finibus uberius tractatur. — Qui nunc exstat inter Bohemiam Misniamque limes, foedere Egrensi anni 1459 constitutus est, postquam utraque loca et circa Lapidem Regis et circa castrum Zavidoviense per vim jam pridem a Bohemia sunt ablata. Palacký, Dějiny IV. 2. p. 81. — Civitas Zitaviensis jam saeculo XIV. per sex civitatum Lusatiae Superioris confoederationem, in qua ei semper locus erat, coepit a Bohemia alienari.

saeculi XIV. mappa historica dici nequeat. Quae res ex ipsius mappae origine facile intelligitur. Primus enim operis hujus auctor, Bohemiae historiographus celeberrimus, antequam tabulam istam componeret, tribus integris annis (1845—1847) in antiqua Bohemiae topographia investiganda ingenti labore desudavit; ex quibus studiis pars fructuum fuit schema locorum accuratissimum, quod sub titulo Descriptionis regni Bohemiae in publicum prodiit,[1] et usque ad hunc diem in omnibus historico-topographicis inquisitionibus ab omnibus rei cultoribus pro canone habetur certeque diu habebitur. Ut autem rerum, quas investigavit, summam ad insigniora quidem loca pertinentem etiam imagine ante oculos poneret, Franciscus Palacký hanc tabulam conscripsit, quae ideo *Tabula ad regni Bohemiae Descriptionem Palackianam adornata* proprie inscribenda erat. Quae parochiae in illa Descriptione notatae sunt, omnes quidem, paucissimis exceptis, ad tempora antehusitica pertinent; civitates vero regiae, oppida, arces atque munitiones, quae in Palackii libro inveniuntur, nequaquam omnia ad idem saeculum referenda sunt, sed statum antiquum universum, qui bello triginta annorum anteivit, indicant (v. ibidem p. VII); quod utrumque et in mappa nostra valet.

Quae quum ita sint, spero fore ut excusetur titulus paulo prolixior, quem tabulae imposui; qui, Palackii vetustiore orthographia ut par erat servata (*au*, *w* loco *ou*, *v*), ita scriptus est

in originali Bohemico:	*id est Latine:*
Historická mapa	**Historica tabula**
ČECH	BOHEMIAE
rozdělených na archidiakonáty a dekanáty 14 století, w nížto jsau poznamenány fary 14 věku, hrady, mnohé twrze a j. w.	in archidiaconatus decanatusque saeculi XIV. divisae, in qua notatae sunt parochiae saeculi XIV., arces, plurimae munitiones &c.;
R. 1847 nawrh	quam anno 1847 informavit
František Palacký.	**Franciscus Palacký,**
r. 1874 doplnil	anno 1874 supplevit
Josef Kalausek.	**Josephus Kalousek.**
Nákladem Kr. Č. Učené Společnosti w Praze.	Sumptibus Regiae Scientiarum Societatis Bohemicae, Pragae
Ryl 1847 W. Merklas, 1875 A. Knore.	Sculpsit 1847 V. Merklas, 1875 A. Knore.

In superiore dextro angulo posui mensuras duas: unam milliariorum geographicorum, quorum XV in uno gradu aequatoris numerantur; alteram antiquorum milliariorum Bohemicorum, morem patriorum geographorum saeculi XVIII. hic sequens, qui XII milliaria Bohemica in uno aequatoris gradu posuere.[2] Rationem deminutionis hac in tabula calculavi aequantem 1 : 525.000 vel 0·0000019 verae magnitudinis.

[1] Popis králowstwí Českého čili podrobně poznamenání wšech dosawadních krajůw, panstwí, statkůw, měst, městeček a vesnic, někdejších hradůw a twrzí, též samot a zpustlých osad mnohých w zemi České. Wydal František Palacký. W Praze 1848.

[2] Ita etiam optimus Joannes Chr. Müllerus. Ceterum quin hic numerus non ad amussim intelligendus sit, nemo dubitat; et re vera ab ipso discrepat valde utraque mensurarum Bohemicarum definitio, et

Quum hoc tempore nullus aeris sculptor Pragae inveniri potuisset, qui tabulae sculpturam ad finem perduceret, commissum est hoc munus populari nostro Antonio Knore, officiali in Vindobonensi instituto militari geographico; qui etsi modico praemio contentus, opus suum optime confecit, omniaque supplenda ac corrigenda pulchrius quam primus ejusdem tabulae sculptor in aes incidit.

Haec in commune de tabulae nostrae origine atque natura dixisse sufficiat; nunc ad singula, quae ipsa contineatur, explananda accedam, de parochiis, archidiaconatibus decanatibusque, de monasteriis, arcibus et munitionibus, oppidis civitatibusque regiis singillatim disserturus.

De parochiis.

Parochiae, quas hodie dicunt, antiquitus *plebaniae*, plebes, earumque rectores *plebani* vocari solebant. Ecclesiae parochiales (Bohemis kostely farní) in tabula nostra parvula cruce alio loci signo superposita designantur, atque fere omnes, quotquot in tabulam insertae erant, ad tempora antehusitica sive ad saeculum XIV. pertinent, pauculis duntaxat exceptis, quae saeculis XV. vel XVI. aut denuo erectae sunt aut tunc demum in historiae monumentis primum occurrunt; eodem signo instructi sunt et aliqui pagi, ceteroquin haud crebri, in quibus ecclesiae filiales ad ecclesiam parochialem cujusdam vicini loci ut ad matrem spectantes steterunt.

Fontes, a quibus notitiam ecclesiarum, quae in antiqua Bohemia exstiterunt, haurimus, hi sunt:

1. *Registra Decimarum Papalium* ex dioecesi Pragensi, quae octona inter annos 1352 et 1405 scripta supersunt, et a spectabili viro Venceslao Vl. Tomek vulgatae in Actis hujus Scientiarum Societatis, serie VI. tomoque 6. reperiuntur. Continent autem omnia beneficia ecclesiastica, quibus decimae papales imponi consueverunt, per dioecesin Pragensem enumerata atque in archidiaconatus et decanatus distributa.

2. *Litterae binae* ddo. 3. Dec. 1349 et 4. Nov. 1350, per quas Arnestus primus archiepiscopus Pragensis de dioecesi sua quatuor decanatus episcopatui Litomyšlensi paulo ante erecto cessit; quarum primae Codice Diplomatico Moraviae VII. p. 676, alterae in Balbini Miscellaneis lib. V. p. 36 leguntur. Quum Registra Decimarum Papalium, quae exstant, ad solam dioecesin Pragensem, non vero ad ceteras duas Pragensis provinciae dioeceses pertineant, hae litterae ad parochias dioeceseos Litomyšlensis cognoscendas sunt fons praecipuus fereque unus, sed, id quod valde dolendum erat, crebro admodum obscurus; quem dilucidandum primo clarissimus jurisque consultus vir Hermenegildus Jireček (v. Památky V. 330), postea maxima cum diligentia admodum reverendus Joannes Carolus Rojek, decanus Budynensis (Pam. IX. 738), curavere.

illa quam in Hajecii Chronico ad annum 1268 legimus, et illa quae ao. 1400 tabulis terrae pro lege inserta est (vide earum Reliquias ab Emlero editas I. 586), quamque ao. 1617 Simeon Podolský, regni Bohemiae geometres, normam etiamtum in commune valentem declaravit (libello O měrách zemských edito ao. 1683 et 1828); secundum quarum definitionum primam unum milliarium Bohemicum efficeret 12.000 ulnarum seu 7468 recentia metra Gallica, secundum alteram 18.980 ulnas seu 11.250 metra; atque unus aequatoris gradus contineret talia milliaria 14·904 vel 9·894.

3. *Libri Erectionum*, quorum inde ab anno 1358, quo Arnesto archiepiscopo et imperatore Carolo IV. auctoribus scribi sunt coepti, usque ad motus husiticos XIII volumina numerantur; erant autem ad erectiones parochiarum ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum inscribendas instituti. Hi quoque libri proprie ad solam dioecesin Pragensem spectant, interdum tamen nonnulla ad dioecesin Litomyšlensem pertinentia exhibent. Quae Bohuslaus Balbinus ex his libris excerpta in lucem protulit (Misc. V. II.), historicis nequaquam sufficiunt; quam ob rem eximius vir Clemens Borový nuper omnium Erectionum voluminum plene edendorum curam suscepit, praetermissurus tantum ea, quae nihil ad rem faciunt solamque formam attinent; quo modo jam liber primus vulgatus est.

4. *Libri Confirmationum* ad beneficia ecclesiastica per Pragensem dioecesin, qui eodem anno 1358, quo Libri Erectionum, incepti et usque ad bellum husiticum perducti sunt. Cui locupletissimo rerum patriarum fonti vulgando venerabilis Franciscus A. Tingl operam dedit, annisque 1865—1868 quinque fasciculos imprimi fecit; quo mortuo, Societas Historica Pragensis alteram libri primi partem ao. 1874 cura doctissimi Josephi Emleri vulgavit, omnesque reliquos libros vel eorum partes nondum typis expressas sese edituram promittit.

5. Nec spernenda sunt instrumenta ad res privatas pertinentia, puta contractus similiaque, in quibus passim ecclesiarum vel juris patronatus mentio fit. Quorum pars non modica jam vulgata reperitur in Erbeni et Emleri *Regestis Bohemiae* (tomus I. usque ad annum 1253, tom. II. annorum 1253—1310); in Emleri *Reliquiis tabularum terrae* anno 1541 igne consumptarum, quarum tomus II. nunc editur; denique in illa litterarum variarum ante annum 1526 Bohemice scriptarum mole, quam Franciscus Palacký sex tomis sub titulo *Archiv Český* imprimi curavit. Haud parvo perinde usui essent antiqua Acta consistorii Pragensis manu scripta, quorum partem annum 1392 complectentem Franciscus Tingl anno 1865 typis mandavit atque *Acta judiciaria* archiepiscopatus Pragensis appellavit. Alia minora vel aetate posteriora quamquam ad rem utilia, ne longus fiam, silentio praetermittam.

Hos topographiae historicae fontes fere omnes Franciscus Palacký jam anno 1847. dum Regni Bohemiae Descriptionem prius laudatam componebat, cognitos habuit; ideoque quum illo libro, tum maxime in antiquorum decanatuum cum eorum parochiis enumeratione, quam suae Historiae Bohemicae inseruit,[1]) nonnullas parochias singulis decanatibus addixit addiditque, quae in Registris Decimarum aliquam ob causam non inveniuntur. Verum summus historiae patriae auctor hanc operam omnibus numeris se explevisse haudquaquam ratus est. Et licet in Descriptione illa Bohemiae componenda hoc praesertim propositum secutus sit, ut locorum nominibus antiquis nostrae aetatis loca, locisque quae nunc exstant antiqua nomina vindicaret, itaque antiquitatem hodierno cum rerum statu conjungeret: tamen quia vici permulti aut nomen mutavere aut penitus periere, neque alio modo plerumque nisi autopsia adjuvante investigari possint, hujus generis aliqua vel sola conjectura assequi vel in medio relinquere necessitate coactus est. Quibus complendis et emendandis alii historiae patriae cultores, partim loca ipsa adeuntes, partim recentioribus et quidem melioribus litterariis subsidiis, ut praecipue magna Bohemiae mappa annis 1849—1860 ab militari instituto geogra-

[1]) Dějiny národu Českého I. 2. p. 369—390.

phico edita suffulti, curam adhibuerunt; inter quos, quod ad topographiam ecclesiasticam attinet, admodum reverendus J. C. Rojek supra jam laudatus excellit; qui parochiarum ecclesiarumque antiquarum, quarum situs pridem ignotus erat, numerum haud exiguum assidua scrutatione definivit.[1]) Etiam me ab eodem praeclaro topographiae historicae indagatore de quibusdam dubiis consilium petentem, benigne adjuvit, atque indicem parochiarum, quae in duobus extremae septentrionalis Bohemiae angulis ad dioecesiu Misnensem pertinuerunt ideoque in Registris Decimarum desiderantur, mecum communicavit; pro quibus ei gratiam sinceram habeo.

In mappa supplenda corrigendaque omnibus his investigationibus recentioribus, ut par erat, uti nisus sum; attamen hanc operam in ea parte ad unguem absolutam esse omnique vitio carere, neque asserere velim, neque id jam nunc quidem posci potest.

Numerum autem *parochiarum universarum*, quae ante bellum husiticum in Bohemia exstiterunt, hunc in modum computavi:

Parochiae in dioecesi Pragensi, quae in Registris Decimarum inveniuntur, fuere numero	1915
Insuper parochiae ejusdem dioeceseos Pragensis, quae in Registris Decimarum non occurrunt, numeratae sunt	110
Dioecesis Litomyšlensis in Bohemia continebat 123 ecclesias parochiales et 11 filiales, quae tamen propriis sacerdotibus, ad modum capellaniarum quas nunc vocamus localium et expositarum, instructae fuisse videntur	134
Denique circa Schluckenaviam et Friedland in Bohemiae finibus ad episcopatum Misnensem spectaverunt parochiae	21
Itaque parochiarum tota Bohemia circa annum 1400 summa fuit . .	2180.

Catalogus cleri ad annum 1869 in universis quatuor dioecesibus provinciae Pragensis enumerat 1930 parochias ceterasque animarum curas (una cum capellaniis localibus et expositis). Quem numerum si cum antiquarum parochiarum numero conferre volumus, habenda est mutatorum provinciae Pragensis terminorum ratio, ut uterque numerus iisdem finibus terminetur. Itaque de antiquo parochiarum numero detrahendae sunt ternae parochiae decanatuum Curiensis et Brumoviensis, quae nunc ditionis Borussicae sunt; dein 15 parochiae decanatus Zitaviensis et 8 parochiae circa Lapidem Regis, quae utraeque ditionis Saxonicae factae sunt; quibus 29 demptis, restant 2151 antiquae parochiae in iis finibus olim sitae, qui adhuc ad provinciam Pragensem pertinent. De hodierno autem parochiarum numero deducendae sunt 19 parochiae in districtu Egrensi sitae, qua ratione supersunt parochiae 1911. Inde patet, circa annum 1400 parochias numero 2151 in iisdem finibus (id est in praesenti regno Bohemiae, addito comitatu Glacensi, demptoque districtu Egrano) exstitisse, in quibus nunc 1911 parochiae inveniuntur; quod ubi quinque saeculis ante parochiae centenae fuerunt, ibi ad praesens sunt vix octogenae novenae (88·8%).

Si adhuc ad illustrandam rationem, qua parochiarum numerus tempore dissensionum propter fidem exortarum et maxime post bellum triginta annorum atque post protestantismum

[1]) Vide Památky VII. 228, 554; VIII. 233; IX. 146, 738, 841, 956, 967.

in Bohemia exstirpatum imminutus fuerit, aliquid adferam, spero me non fore lecturis molestum; est enim ecclesiarum sacerdotumque numerus non solum pietatis, sed etiam prosperitatis aeque ac miseriae publicae in unoquoque tempore mensura.

Bohuslaus Balbinus in Miscellaneorum suorum libro V. p. 64 mentionem facit grandis tabulae annis 1596—1605 tributis exigendis regni comitiorum auctoritate confectae, in qua „ditionibus omnibus, urbibus oppidisque nominatis usque ad segmenta et atomos ultimas demonstrentur totius Bohemiae facultates“. Qua ex tabula Balbinus praeter alia excerpsit numerum parochiarum, [1]) quae fuerunt

in ditionibus Regiae Majestatis cameralibus	132
in ditionibus baronum	517
in ditionibus equitum, seu, ut majores nostri ajebant, militum . .	520½
in civitatibus regiis earumque ditionibus	101
in ditionibus ecclesiasticorum	72
in oppidis subditis	24
Summa . .	1366½.

Paulus Stránský eximio libro De Republica Bojema cap. 19. § 3. ante seditionem anni 1618 parochias 1340 numero fuisse scribit.

Tabulae anni 1605, qua Balbinus est usus, consimilis est alia anni 1615, quam professor Augustus Sedláček sumptibus hujus Scientiarum Societatis anno 1869 edidit sub titulo: Rozvržení sbírek a berní r. 1615. Computatis omnibus parochiis, quae in ista tabula exhibentur, inveni earum numerum

in ditionibus cameralibus	138
in ditionibus baronum	512
in ditionibus militum	481
in civitatibus regiis et quibusdam subditis earumque ditionibus . . .	83
in ditionibus ecclesiasticorum	77
Summa . .	1291.

Unusquisque horum trium numerorum ad quatuordecim Bohemiae quos dicebant circulos, quibus tributa comitiorum jussu imponebantur, pertinet, exceptique sunt quum in ambabus tabulis tum ut puto etiam apud Stránskium comitatus Glacensis, districtus Egranus atque regionis Cubitensis pars; in Tabula tributorum anni 1615 desiderantur insuper parochiae Pragenses. Quos numeros ut cum parochiarum numero prisco (2180) conferre possimus, deducendae sunt de eodem praeter eas, quas jam superius detraximus, etiam parochiae sitae quondam in istis regionibus exceptis, nempe 41 parochiae Glacenses, circiter 12 Cubitenses, (postremo etiam 44 Pragenses); quibus demptis, manet antiquarum parochiarum numerus 2098 (vel 2054) cum recentioribus numeris comparandus. Ergo superfuerint ex parochiis antehusiticis.

65 centesimae secundum Tabulam tributorum ab anno 1605,

64 centesimae ante annum 1618 teste Stránskio,

[1]) Eadem excerpta una cum aliis amplioribus ex eadem tabula, quae nunc in Museo regni Bohemiae asservatur, sumptis, leguntur apud Palackium, Radhost II. 124.

63 centesimae secundum Tabulam tributorum ab anno 1615.

Haec numerorum differentia non ex rerum ipsarum in tam brevi temporis spatio mutationibus, sed potius ex fassionibus, quas dicebant, plus minus accuratis, vel ex annotationibus omissis, oriri videtur; neque erraverimus, si numerum maximum deligemus atque ex centenis parochiis, quae circa annum 1400 exstiterunt, sexagenas quinas circa annum 1610 superfuisse putabimus (65%). Notandum tamen est, hoc numero non solum parochias sacerdotibus instructas, sed etiam vacantes, de quibus ipsarum collatoribus par tributum imponebatur, contineri. (Rozvržení p. V; — cf. etiam hic p. 14 de decanatibus ad annum 1573).

Aetatis quae secuta est bellum triginta annorum exstant in bibliotheca archiepiscopali Libri Relationum anno 1677 archiepiscopi jussu ab omnibus parochis factarum; ex quibus cura Joannis C. Rojek usque ad hoc tempus sola ea innotuerunt, quae ad circulum Chrudimensem pertinent.[1]) Quibus perlustratis atque computatis computandis, ad hanc tristem summam perveni: de 146 parochiis (filialibus ecclesiis praetermissis), quas Caroli IV. tempore in illa regione exstitisse scimus, tribus post saeculis solas 41 parochias seu 28 centesimas permansisse (28%), ceterasque 105 ecclesias olim parochiales, sive 72 centesimas, partim periisse, partim tanquam filiales proprio sacerdote orbatas inibi stetisse.

De archidiaconatibus atque decanatibus.

Archidiaconorum seu archipresbyterorum, quos ecclesia catholica moribus clericorum laicorumque inspiciendis atque corrigendis instituit, in Bohemia primam mentionem apud vetustissimum rerum patriarum scriptorem Cosmam legimus; qui ad annum 1039 satis perspicue potestatis publicae partem describit, quam archipresbyteri seu archidiaconi (utraque enim voce utitur Cosmas) ex ducis et exercitus Bohemici decreto Gnesnae in Polonia proclamato ad coërcenda populi crimina nacti sint. Eadem dignitas etiam posterioribus temporibus apud majores nostros vigebat. Nam dioecesin Olomucensem jam ante annum 1131 in sex archidiaconatus divisam esse constat.[2]) In Bohemicis autem litteris publicis archidiaconi inde ab annis 1144 et 1164 haud raro occurrunt, sic quoque ut paulo post jam 13 archidiaconatus in dioecesi Pragensi numerari possint; etenim praeter decem archidiaconatus, quos etiam saeculo XIV. duravisse scimus quosque inferius enumerabo, exstiterunt tunc archidiaconatus Rokycanensis, Roudnicensis et Zerčicensis.[3]) Terminos vero archidiaconatuum Bohemicorum nobis primum Registra Decimarum Papalium indicant, in quibus 10 archidiaconatus per dioecesin Pragensem recensentur. Contra de archidiaconatuum post bella husitica numero limitibusque non ita accurate certiores facti sumus; occurrunt autem post sedem archiepiscopalem anno 1561 restauratam praeter archidiaconatus priscos etiam novorum nomina, puta archidiaconatus Zitaviensis, Glacensis. Ambo vocabula, archipresbyter et archidiaconus, etiamtunc ad eandem dignitatem designandam promiscue in usu erant.[4])

---

[1]) Pam. IX. 738, 842.

[2]) Erbeni Regesta p. 95. — Dudík, Geschichte IV. 374.

[3]) Is archidiaconus residebat in pago Zerčiňaves seu Zerčice prope Juvenem Boleslaviam. Tomek ČČM. 1858 p. 227.

[4]) Borový, Ant. Brus p. 93, 102, 103, 127, 135, 154, 156, 160, 215, 278; ejusdem Akta konsistoře kato-

Decanorum ruralium munus, simile archidiaconali sed ipsi subjectum, tempore posteriore, quam archidiaconorum, in Bohemia institutum esse videtur, nec satis constat, quando id factum sit. Prima decani in Bohemia mentio in epistolis reginae Cunegundis inter annos 1266—1271 scriptis invenitur.[1]) Neque insequentibus decenniis decani occurrunt crebro; attamen ex eo, quod anno 1339 Velešinensis plebanus munere decanali in decanatu Doudlebensi fungitur parochiaque Altovadensis ad ejus decanatum pertinet,[2]) secure colligi potest: Pragensem dioecesin jam anno 1339 in decanatus divisam ipsosque ad eundem modum, quem paulo post cernimus, institutos fuisse, neque id primum demum sub Arnesto archiepiscopo effectum esse. Nec desunt indicia, quae multo vetustiorem decanatibus in Bohemia vindicent originem. Enimvero in decanatuum saeculi XIV. elencho inveniuntur duo nomina obsoleta, sumpta ab arcibus,[3]) quae multo ante annum 1270, circa quem prima decani ruralis mentio occurrit, desertae fuerunt, adeo ut provinciae earum jam nova nomina acceperint. In dioecesi Olomucensi autem primi qui traduntur decani sunt anno 1244 Opaviensis, qui erat parochus in Nova Ecclesia, et Znojmensis anno 1262;[4]) neque habemus cur existimemus, Moraviam prius fuisse in decanatus divisam quam Bohemiam. Perspicacissimus hujus rei investigator, V. V. Tomek, decanatus in Bohemia certo jam saeculo XII., fortasse anno 1143 institutos esse opinatur;[5]) quo anno cardinalis legatus Guido in Bohemia et Moravia commoratus est, atque de legatione sua sedi apostolicae inter cetera retulit: se Pragensi Olomucensique episcopis praecepisse, ut in parochiis (id est dioecesibus) suis *plebales ecclesias distinguerent;*[6]) sed utrum plebaniae *una ab altera*, an *decanatibus vel archidiaconatibus* distinguendae fuerint, vel ut idem aliis verbis dicam, utrum plebaniarum limites, an decanatuum vel archidiaconatuum fines fuerint determinandi, non liquet.

De Bohemiae in decanatus et archidiaconatus partitione certe ac plene solummodo ex Registris Decimarum Papalium atque ex litteris annorum 1349 et 1350 superius (p. 6) allatis edocemur; quae si non exstarent, in iisdem tenebris adhuc saeculo XIV. circa eam rem versaremur, quas saeculis superioribus obversatas esse dolemus. Fuerunt autem saeculo XIV. in Bohemia decanatus 57 numero; quorum nomina partim de civitatibus vel pagis, partim de aliis rebus, de quibus singulis annotabo, assumpta, jam hic proferam, adjectis numeris, quibus in mappa nostra designantur.

I. In archidiaconatu Pragensi:

1. Decanatus urbis *Pragensis,* quem et civitatensem vocaverunt.
2. Decanatus *Benešoviensis.*
3. Decanatus *Říčanensis.*
4. Decanatus *Ořechoviensis.*

---

lické, registrum. Archidiaconus Bechynensis tunc Krumloviensis vocari coeptus est, v. eadem Acta p. 54, 55, 82.

[1]) Palacký, Formelbücher I. 295.

[2]) Ibidem I. 347.

[3]) Nempe decanatus Kamenicensis et Havranensis. V. Tomek, ČČM. 1858 p. 227.

[4]) Erb. Regesta p. 523, Eml. Reg. p. 152.

[5]) ČČM. 1858 p. 227.

[6]) Erb. Reg. p. 106.

5. Decanatus *Podbrdensis,* i. e. Subbrdensis, ita vocatus, ut communis opinio fert ex montibus, quibus antiquum vernaculum nomen est Brdy.

6. Decanatus *Rakonicensis.*

7. Decanatus *Slanensis.*

8. Decanatus *Řipensis,* cui nomen ex famoso in memoria originis gentis Bohemicae, monte Řip inditum fuit.

9. Decanatus *Chluminensis* vel Klominensis, cujus regio olim apte Meziříčí i. e. *Μεσοποταμία* vocabatur. [1])

10. Decanatus *Brandicensis* seu Brandeisensis.

II. In archidiaconatu Kouřimensi:

11. Decanatus *Curimensis* seu Kouřimensis.

12. Decanatus *Brodensis* i. e. Teutobrodensis.

13. Decanatus Řečicensis.

14. Decanatus *Čáslaviensis.*

15. Decanatus *Štěpanoviensis* seu antique Ščepanoviensis.

16. Decanatus *Coloniensis* vel Kolinensis. Hic decanatus solum in quibusdam Registris Decimarum apparet, in aliis vero parochiae ejus partim decanatui Kouřimensi, partim decanatui Čáslaviensi (quam ob rem, haud satis patet) ascribuntur; quae partitio in tabula nostra serie lineolarum nigrarum denotatur. Plura de hac re vide in editoris prooemio ad Registra Decimarum p. XII.

III. In archidiaconatu Bechynensi:

17. Decanatus *Bechynensis.*

18. Decanatus *Vltaviensis* ex flumine Vltava vel Moldava sic nominatus.

19. Decanatus *Volynensis.*

20. Decanatus *Boznensis.* Bozeň videtur fuisse arx publica, ex qua circumjacens provincia nomen cepit, quod inde ab anno 1057 usque in saeculum XV. saepe occurrit; situs arcis adhuc ignoratur. (ČČM. 1859 p. 168; Pam. II. 134.)

21. Decanatus *Chýnoviensis.*

22. Decanatus *Dúdlebensis* traxit nomen ab arce provinciali, sub cujus reliquiis manet adhuc vicus Bohemis Doudleby, Germanis Teindles vocatus.

23. Decanatus *Prachynensis* circa antiquam arcem Pracheň sitam prope Horaždovicium, ex qua arce etiam provincia, dein circulus usque ad annum 1849 nomen servaverunt.

IV. In archidiaconatu Zacensi:

24. Decanatus *Kadanensis.*

25. Decanatus *Zacensis* (Boh. Žatec, Germ. Saatz).

26. Decanatus *Luticensis* (Boh. Žlutice, Germ. Luditz).

27. Decanatus *Teplensis,* posterius saeculo XVI. Tachoviensis dictus.

28. Decanatus *Cubitensis* (Boh. Loket, Germ. Ellbogen).

---

[1]) ČČM. 1858 p. 236.

V. In archidiaconatu Litoměřicensi:

29. Decanatus *Litoměřicensis* vel antique Lutomiricensis (Germanis Leitmeritz).
30. Decanatus *Třebenicensis.*
31. Decanatus *Lipensis* (Germ. Böhmisch-Leipa).

VI. In archidiaconatu Bělinensi:

32. Decanatus *Bělinensis* (Germ. Bilin).
33. Decanatus *Ústensis* (Germ. Aussig).

VII. In archidiaconatu Boleslaviensi:

34. Decanatus *Boleslaviensis,* sic dictus ab Juveni Boleslavia, Germanis Jung-Bunzlau.
35. Decanatus *Zitaviensis.*
36. Decanatus *Mělnicensis.*
37. Decanatus *Turnoviensis.*
38. Decanatus *Jablonensis* seu Gablonensis.
39. Decanatus *Hradištensis,* qui cepit nomen ex oppido dicto Hradiště Mnichové, Germanis Münchengrätz.
40. Decanatus *Kamenicensis.* Idem nomen fuit provinciae inditum ab arce publica Kamenec, quae modo bis in litteris occurrit (ao. 1088 et 1130), dein mox oblivioni adeo data est, ut situs ejus adhuc ignoretur.
41. Decanatus *Havranensis.* Antiquae arcis Havraň situm denotat posterior, cui idem erat nomen, munitio, quae in tabula nostra reperitur. Provincia Havranensis jam anno 1227 Poděbradensis vocatur, novumque hoc nomen ita praevaluit, ut provincia Havranensis postremo annis 1228 et 1233 appareat; decanatui tamen hoc vetustius nomen permansit.

VIII. In archidiaconatu Plznensi:

42. Decanatus *Plznensis,* seu Pliznensis, Pilsnensis.
43. Decanatus *Rokycanensis.*
44. Decanatus *Klatoviensis.*

IX. In archidiaconatu Horšoviensi:

45. Decanatus *Horšoviensis* seu Týnensis, Teinensis, sicut saeculo XVI. vocatur. Týn Episcopi = Bohemis Horšův Týn, Germanis Bischof-Teinitz.

X. In archidiaconatu Hradecensi:

46. Decanatus *Hradecensis* seu Gradicensis, Grecensis. Bohemis Hradec Králové, Germanis Königingrätz.
47. Decanatus *Jičinensis.*
48. Decanatus *Bydžoviensis.*
49. Decanatus *Glacensis,* Bohemis Kladsko.
50. Decanatus *Dobrušcensis.*
51. Decanatus *Curiensis.* Curia Reginae, Boh. Dvůr Králové, Germ. Königinhof.
52. Decanatus *Kostelecensis* ad flumen Aquilam.
53. Decanatus *Brúmoviensis* seu Braunensis.

XI. In dioecesi Litomyšlensi:

54. Decanatus *Chrudimensis.*
55. Decanatus *Mutensis.* Alta Muta, Boh. Vysoké Mýto, Germ. Hohenmauth.

56. Decanatus *Policensis*. (Hodie Polička, olim et Police vocabatur.)

57. Decanatus *Landskronensis*. — Praeterea ad episcopatum Litomyšlensem duo Moraviae decanatus, Schönbergensis et Úsoviensis, pertinuerunt.

Haec Bohemiae partitio ecclesiastica maxima ex parte usque ad bellum triginta annorum viguit, motibus husiticis religionisque mutationibus non obstantibus. Quomodo hae res saeculo XVI. se habuerint, optime ex Libro Visitationis factae anno 1573 cognosci potest; quem manu scriptum codicem bibliothecae archiepiscopatus Pragensis olim Franciscus A. Tingl perlustravit atque nonnulla ex eo deprompta typis vulgavit. Excerpsit autem nomina parochiarum, quotquot tunc in singulis decanatibus exstiterunt, adjecta annotatione, quae parochiae sacerdotibus sive catholicis sive acatholicis instructae fuerint, vel quae vacaverint, et quis collator jus patronatus et praesentandi ad singulas exercuerit. Quae tamen excerpta Tingliana ad quatuordecim solummodo decanatus pertinent, et quidem ad Plznensem, Rokycanensem, Klatoviensem (vide Památky VII. 224), Horšoviensem, Kozlanensem (ib. VII. 442), Doudlebensem (VII. 595), Bilinensem, Kadanensem, Ústensem (VIII. 67, 233), Tachoviensem (seu Teplensem VIII. 232), Prachynensem (VIII. 388), Lipensem, Volynensem (VIII. 469, 632), et Žluticensem (VIII. 549). Excepto recenti decanatu Kozlanensi, qui tertiam circiter antiqui decanatus Rakonicensis partem amplectebatur, omnes hi decanatus jam elencho saeculi XIV. continentur; accurata autem ipsorum cum nostra tabula comparatione inveni, antiquos decanatus etiam limites suos priscos per illa duo saecula plus minus retinuisse. Etenim in duobus decanatibus, Volynensi et Doudlebensi, nullum prorsus mutationis cujuslibet vestigium inveni, in ceteris XI decanatibus autem solas XXII parochias ex uno in alterum vicinum transiisse comperi. At major rerum mutatio apparet, si iterum numerum parochiarum respicimus, quae bellis turbisque ob religionem motis superstites fuerint. Computavi enim, ex 505 parochiis, quae in superioribus XIII decanatibus (Kozlanensi semper praetermisso) circa annum 1400 exstiterant, anno 1573 solas 297 Libro Visitationis perscriptas esse: quo in numero recensentur 196 parochiae catholicae, 60 acatholicae, et 41 tunc vacantes. Quibusdam in decanatibus videntur quidem non omnes parochiae acatholicae et vacantes, quotquot tunc re vera erant, enumeratae esse; quod nisi ita esset, vix 59 centesimas antiquarum parochiarum permansisse constaret, qui numerus minor est etiam numeris superius (p. 9 sq.) circa annum 1610 computando inventis. In uno solo decanatu Doudlebensi, sub ditione dominorum de Rosenberg, neque ulla parochia in acatholicorum manus devenit, neque periit, imo earum numerus priscus duabus parochiis novis interim est auctus.

Antiqua Bohemiae in decanatus partitio eorumque termini prisci etiam in historia profana magni momenti sunt. Disputant enim antiquitatis Bohemicae scrutatores de quaestione haud levi, utrum vetustissima Bohemiae divisio ecclesiastica cum partitione civili congruerit, sive utrum prisci decanatus cum vetustissimis districtibus seu provinciis (Bohemis župy, kraje) in eosdem fines inciderint annon? Quam controversiam alibi summatim exposui novumque argumentum ad ipsam affirmative dirimendam protuli.[1]) Cui etiam disceptationi, nondum finitae ulteriusque prosequendae, conspicuos decanatuum terminos profuturos esse, per se intelligitur.

[1]) ČČM. 1874 p. 147.

Quum in Registris Decimarum atque in litteris episcopatus Litomyšlensis anni 1350 parochiae per singulos decanatus recenseantur, terminos decanatuum etiam depingi posse patet. Sed considerandum est, praeter parochias nullum alium terminorum indicium memoriae traditum esse; quam ob rem ubicunque locorum nullae inveniuntur parochiae, ibi nec decanatuum limites nisi conjectura, puta ex aquarum decursu vel ipsarum divortio (quam utramque rem antiquitas in limitibus determinandis maxime respiciebat), consequi potui. Quibusdam vero locis omnia indicia me fefellerunt; velut pagi et munitiones Korkynĕ et Čém utrum ad Ořechoviensem, an ad Podbrdensem, an ad Bozuensem decanatum pertinuissent, minime discernere valui. Praeterea in numero parochiarum, quae in Registris Decimarum desiderantur quasque Franciscus Palacký ex aliis fontibus hausit, sunt quaedam quae prope limitem duorum decanatuum inveniuntur; quae ad utrum decanatum spectaverint, difficile est dictu. Talia dubia loca sunt:

Parochia Tomice in termino decanatuum Štěpanoviensis et Benešoviensis.

Monasterium oppidumque Milevsko (Germ. Mühlhausen) in limite decanatuum Bechynensis et Vltaviensis: aquarum defluxus mihi causae fuit, hunc locum in decanatu Bechynensi ponendi.

Monasterium Doxanense, situm in confinio decanatuum Třebenicensis, Litoměřicensis, Řipensis, imo et Slanensis.

Merica, Boh. Bor, Germ. Haid, oppidum decanatui Teplensi, castrum vero decanatui Horšoviensi annumerabatur (Reg. Dec. p. 73, 90); idcirco limitem per loci signum duxi.

In confinio decanatuum Volynensis, Doudlebensis atque Bechynensis quatuor parochiae saeculo XIV. exeunte jam exstitere, quae in Registris Decimarum omissae sunt: Lhenice, Frauenthal, Chroboly et Merica Superior (Boh. Zbitiny, Germ. Oberhaid). Lhenicium decanatui Bechynensi addixi, et ob aquarum defluxum, et quia hoc oppidum posterioribus saeculis semper spectavit ad circulum Prachynensem, his locis ab aquarum divortio ad septentriones versus incipientem. Frauenthal sive Freienthal, Freudenthal, occurrit primo Libris Confirmationum anno $1360^{31}{}_{12}$ dein $1395^{5}/_{6}$, Chroboly ibidem $1360^{6}/_{11}$ et $1435^{27}{}_{5}$, Merica Superior $1395^{5}/_{6}$ et $1414^{2}/_{8}$; quas tres parochias, quia una cum oppido Volary (Wallern) anno 1573 in decanatu Volynensi apparent, eidem decanatui jam primitus addicendas esse putavi. Vicinum pagum Vitějovice anno 1365 ad parochiam Blanicensem decanatus Volynensis pertinuisse ex Libro Erectionum I. (ed. Borový p. 53) novimus.

De monasteriis (Boh. kláštery)

pauca sunt dicenda. In tabula nostra reperiuntur tantummodo illa ordinum, quibus possessiones potiri fas erat, celeberrima coenobia, quae ante motus husiticos sunt erecta. Monasteria recentiora atque claustra ordinum mendicantium fere innumera omisi omnia.

De castris atque munitionibus.

Arcium natura tempore diverso diversa erat. Quae de *urbibus*, *civitatibus* et *oppidis* apud Cosmam ceterosque rerum Bohemicarum scriptores priscos atque in litteris usque ad

sacculi XIII. initia legimus, his nequaquam communia ad instar Romanorum municipiorum constituta intelligenda sunt, sed omnes illae voces pariter ac vocabulum *castrum* eo tempore indifferenter *arces* designabant (Bohemice *hrady*). Neque privatae erant hae antiquissimae arces, sed publicae, universo viciuo populo, quando belli casus ingrueret, ad refugium destinatae. Munitae autem erant partim loci natura, ceterum plerumque fossis, vallis, sudibus sepitibusque insuper defixis; principales vero Bohemiae arces, puta Pragam, Boleslaviam Veterem, jam saeculis X. et XI. muris opere Romano exstructis cinctas esse constat (v. Cosmam ad annum 932, 1055).

Arces regiae ac nobilium privatae ad communem posterioris medii aevi modum in Bohemia demum medio saeculo XIII. condi sunt coeptae; quas majores nostri Latine *castra*, Bohemice iterum *hrady*, denique saeculis XVI. et XVII. etiam *zámky* vocaverunt.

Utriusque generis arces, et illae antiquissimae publicae (puta Antiqua Plzna seu Plzenec, Libušín, Libice), et hae recentiores (velut Rosenberg, Sternberg, Potenstein), in hac mappa uno eodemque signo denotantur; sed neutro ex numero cunctae, quotquot olim exstiterant vel saltem quae adhuc innotescerent, inseri potuerunt, quia ad id efficiendum specialis arcium tabula opus esset, quam demum ab Augusto Sedláček, diligentissimo hujus rei investigatore, exspectamus.

Nobilium sedes levius munitae antiquitus Latine *munitiones*, Bohemice *tvrze*, Germanice *Rittersitze* seu Edelsitze vocari solebant. Harum nostrae mappae solum pars circiter media insertae sunt, et quae ibi inveniuntur, magna ex parte ad saecula XV. et XVI. pertinent.

Paulus Aretinus in tabula Bohemiae anno 1619 edita tradit, arces firmas 200, ceteras vero nobilitatis habitationes sive munitiones 3377 in Bohemia computari;[1]) permultas autem vetustiores arces atque munitiones tunc jam desertas fuisse nemo ignorat, neque jam omnes, quae aliquando stetere, sub suis ruinis atque nominibus tempore obrutis usque ad hunc diem sunt detectae.

De civitatibus atque oppidis.

Civitates oppidaque, id est communia pagis frequentiora, cultiora, majori jure utentia, atque non solum agricultura, sed maxime mercatura industriaque valentia, apud majores nostros ante saeculum XIII. frustra quaesiveris. Civitatum autem inde ab illo tempore occidentalium populorum more conditarum duo genera semper discernebantur: quae in ditionibus regiis maximis privilegiis et autonomia praeditae, ideoque opulentiores moenibusque cinctae erant, atque inde a bello husitico jure tertii status in regni comitiis utebantur, eae *civitates* sive *urbes regiae* (města královská) vocatae sunt; humiliores vero, minoribus juribus instructae, sive in ditionibus regiis regiorum villicorum vel castellanorum jurisdictione obediebant, sive sub nobilium vel ecclesiasticorum dominio erant, *oppida* vel etiam civitates subditae dici consueverunt.

Ex civitatibus et oppidis tabulae nostrae insertis quaedam jam in saeculum XIV., cetera si non origine, tamen statu suo hic exhibito in posteriora duo saecula referuntur.

[1]) Balbini Misc. l. III. p. 65.

Civitates quoque regiae, quae corona denotantur, nonnullae post motus husiticos demum gradum hunc adeptae sunt; velut civitates, quae prius fuerant episcopales, Broda Bohemica anno 1437, Rokycany anno 1498 ad numerum civitatum regiarum sunt ascriptae. Civitatem Tábor, primitus Hradiště hory Tábor dictam, a celeberrimo invictoque Taboritarum duce Joanne Žižka anno 1420 conditam esse constat; quam, ut ne origine quidem saeculum Caroli Quarti attingentem, parenthesibus inclusi, signoque eodem eadem ex causa tres alios locos instruxi: Novam Civitatem ad Medhujam fluvium anno 1501 conditam, Joachimsthal oppidum anno 1516 auctum, atque Ochranov sive Herrnhut coloniam Fratrum Bohemicorum anno 1722 deductam.

Index locorum.

Quum praesens tabula Palackianae Descriptionis regni Bohemiae summam praecipuam in conspectum det proprieque ipsius supplementum pictum eveniret, censui opportunum reique utile fore, si eximius saneque uberrimus Palackii liber etiam alia ex parte per hanc occasionem supplebitur. Lustratis idcirco recentioribus scriptis ad eas res pertinentibus, inventa inibi supplementa, emendationes et locorum nomina, quae in Palackii Descriptione variis ex causis desiderantur, in unum contuli atque ordine alphabetico digesta huic commentario adjungo.

Nomina in sequenti indice **litteris crassis** expressa denotant locos antiquos, quorum situs demum post annum 1847 est repertus vel definitus. — *Cursivis litteris* scribuntur antiqua plerumque Bohemica nomina locorum, qui Palackii libro sub aliis nominibus afferuntur. — Cetera, quae communibus litteris redduntur, sunt maxima ex parte nomina obsoleta in veteribus tantum scriptis Latinis usitata, vel per pravum pronunciandi aut scribendi modum detorta; quibus praecipue eos, qui ad rerum Bohemicarum fontes edendos registra component, in locis definiendis adjuvare velim.

Nonnulla eorum, quae in hoc indice recensentur, ex exemplari Palackianae Descriptionis Bohemiae exscripsi, quod mihi auctor sua ipsius manu passim supplctum benigne commodavit. Alia, quae signo (J) notata sunt, debeo excellentissimo viro Josepho Jireček, hujus Societatis hoc tempore praesidi. Ceterorum origo ubique accurate annotata est, quibusdam abbreviationibus adhibitis, quae ita sunt intelligendae:

PP. = Palackii Descriptio (Popis) regni Bohemiae, citatur semper ut definiatur locus, de quo agitur.

RD. = Registra Decimarum Papalium.

Pam. = Památky Archaeologické a Místopisné.

Pal. Děj. = Palackého Dějiny národu Českého.

Tom. Pr. = Tomek, Dějepis města Prahy.

Orth = Orth & Sládek, Topografický Slovník Čech.

ČČM. = Časopis českého Musea.

Voce *villa* semper in Romana sententia utor; quam majores nostri (quibus villa significabat vicum) exprimebant verbis: curia araturae, Boh. dvůr poplužní, Germ. Meierhof.

A.

Abbatis Villa: Absdorf PP. 176, 19; Pam. IX. 753.
Abštorf Malý: Überdörfel PP. 176, 21. Mappa Müllerіana regni Bohemiae. ao. 1729 edita.
Adamovice, olim parochia decanatus Říčanensis RD. 40, fortasse Popovičky PP. 235, 28; Pam. IX. 967.
Alba seu Alba Ecclesia: Zdice PP. 272; RD. 42.
Alba Ecclesia: Nezamyslice PP. 345; RD. 67.
Alba Ecclesia: Třebonin PP. 216; RD. 55.
Alba Ecclesia: Kostelec PP. 70; RD. 75.
Alba Ecclesia sive Henrici Villa: Heunersdorf PP. 101; RD. 81.
Albea, parochia dec. Jičín. RD. 92, quam Pal. Děj. I. 2. 386 ponit = ? Bělohrad PP. 129, quod Rojek valde dubitat. Fortasse quaerenda est haec parochia ad Albim fluvium, quem semper Albeam vocabant.
Alberti Villa: Vitějovec, Heinzendorf PP. 178; Pam. IX. 755.
Alberti Villa: Valbeřice, Albendorf in Silesia RD. 96.
Alberti Villa: Albrechtice, Ulbersdorf PP. 28; RD. 78.
Aldašín, Údašín PP. 234, olim vicus cum parochia, hodie ecclesia solitaria S. Georgii prope Jevany PP. 232, 2, dicta Valdašíu. Pam. V. 353.
Alta: Vysoká PP. 189; RD. 55.
Alta Muta, Vysoké Mýto, Hohenmauth.
Altum Vadum: Vyšší Brod, Hohenfurt PP. 315.
Altus Pons: Třebechovice, Hohenbruck PP. 161; RD. 91.
Antiqua Aqua: Stará Voda PP. 114, 2; RD. 93.
Antiqua Civitas Trutnoviensis vide Trutnov Villa.
Antiqua Colonia: Starý Kolín PP. 237; RD. 51.
Antiqua Fagus: Staré Buky, Altenbuch PP. 141; RD. 96.
Antiqua Muta vide Staré Mýto.
Antiqua Plzna, Stará Plzeň: Plzenec PP. 390; RD. 86; arx provincialis Pam. VIII. 418.
Antiqua Sella: Staré Sedlo PP. 333; RD. 63.
Antiqua Sella: Staré Sedlo, Altsattel PP. 396; RD. 89.
Antiquum Claustrum: Starý Osek PP. 52; RD. 78.
Apostolorum Porta: Postelberg, Postoloprty.
Arena: Písek PP. 330; RD. 60.
Argentaria: Stříbro, Mies PP. 394.
Arnoldi Villa: Arnoltice, Arnsdorf PP. 60; RD. 77.
Arnoldi Villa in comitatu Glacensi, olim Arnsdorf, nunc Grafenort Pam. IX. 968.
Arnoldi Villa, parochia dec. Ústensis, vide Komonin.
Aula Regia, Zbraslav, Königsaal PP. 248.

B.

Balkovice olim vicus cum parochia, hodie unitus cum pago Poříčí ad Sázavam PP. 255, 49; Pam. IV. I. 18; Vlasák, Okres Benešovský 65.
Barba: Brada PP. 120; RD. 92.
Baršov: Boršov PP. 317, 50.
Bažice: Važice PP. 119.
Běchovice, Mnichovice, Měchovice, antiqua nomina vici qui nunc efficit suburbium Transalbinum (předměstí Zálabské) Coloniae Novae, PP. 236; RD. 49, 51. In mappa Mülleriana legitur ibidem Bechowitz.
Bělá: Bílé PP. 145, 23; Pam. II. 202.
Bělá locus nominatus apud Cosmam ad annum 1121. fortasse Bělá, Weissensulz PP. 378, 8; Pam. II. 169.
Bělá Rohovladova: Bělá PP. 166; Pam. IX. 846.
Bělenče: Willentschen PP. 314, 17; Pam. IX. 891. X. 344.
Bělení: Wieles PP. 315, 64; Pam. X. 345.
Bělohrad PP. 129. Huic loco nomen *Nova Villa* fuisse Rojek ex Lib. Erect. II. ad annum 1354[2]$_9$ et 1360 pro certo habet. Ecclesia filialis in Nova Villa spectabat ad parochiam in vico Újezd Svatojanský PP. 129. — Cf. Albea.
Beltchaw: Velichov PP. 421; Pam. IX. 146—147.
Běnoves, Věnoves: Wenuschen PP. 412, 4. (J)
Benévice, Binowitz, vicus unitus cum Chlum PP. 136.
Beňovice, Byenouicz RD. 88, olim parochia dec. Klat., hodie ecclesia S. Martini in monte Hůrka inter vicum Beňov PP. 365 et civitatem Klatoviensem. Pam. II. 168; IX. 145, 968.
Beřice. Berzicz, Borzicz, Bezrzicz, Bezrucz, olim vicus cum parochia dec. Kouř., nunc pars pagi Rašovice PP. 190; RD. 50; Pam. IX. 146, 967.
Bernartice: Pernarce, Pernharz PP. 405, 2; Pam. VIII. 233.
